



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

Titulus IV. De Eucharistiæ Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

nitur nonnunquam nomen novum, vel ex devotionis affectu erga aliquem Sanctum, aut alio honesto titulo; vel si nomen confirmandi sit turpe, ridiculum aut ab avita gentilitate profectum. Patrinus candida fascia frontem obducit: & Episcopus data solemnī benedictione concionem dimittit. Olim septem dierum spatio fasciam fronti circumligatam ferebant confirmati, & interea sanctissimis pietatis operibus exercebantur: hodie languescente Fidelium virtute curari deberet, ut saltem illa dies, qua Sacramentum hoc suscipitur, pie sancteque transigatur. Dictæ vittæ in profanum usum converti nequeunt: sed potius cremari debent, & cineres in Sacrario poni: debent autem fasciolæ auferri a Sacerdote; & frons confirmati bombyce abstergi, deinde lavari.

TITULUS IV.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 44.

§. 213.

Divinus Servator noster per *Eucharistia*
Baptismum ad novam vitam rege-

R 3 ne-

neratos, & per Confirmationis gratiam militiæ suæ adscriptos, immortali alimonia Corporis ac Sanguinis sui nutrit ac roborat. Hæc vocari solet *Eucharistia*, latine bona gratia, *Synaxis*, id est, collectio, adunatio, *Collecta*; *Communio*; *Viaticum*; *Cena Domini*; *Sacra Mensa*; *Panis Filiorum*, aut *Angelorum*; *Sacramentum Altaris*, *Sacramentum Pacis* & *Charitatis*; *Agapa*, id est dilectio; *Eulogia*, seu benedictio 17.).

Definitio :

§. 214. *Eucharistia est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini realiter contentarum, ad Spiritualem Fidelium alimoniam a Christo institutum, scilicet per modum convivii spiritualis, constantis ex cibo*

17.) Nomine Eulogiarum intelliguntur apud Græcos partes panis ex Fidelium oblationibus superstites, & a Sacerdote benedictæ, quæ peractis mysteriis distribuuntur illis, qui ad sacram mensam non accedunt. Olim etiam, prout multi sentiunt, particule Eucharistiæ consecratæ, instar Eulogiarum mittebantur Parochiæ tempore ad distitas Parochias in mutuatæ communionis signum. Concilium LAODICENUM Can. 14. id fieri prohibuit. Vid. CABASSUTIUS Notit. Eccl. Sæculi II. Dissert. II. & 12.

De Eucharistiæ Sacramento. 263

bo & potu. Unde habetur in Eucharistia ratio signi sensibilis divinitus instituti 18.) : annexa gratiæ promissio 19.) : mandatum adhibendi hoc signum 20.) : consequenter tota ratio Sacramenti.

§. 215. *Materia est panis triticeus, Materia & vinum de vite, moraliter confectanti præfens, in ea quantitate, quam Sacerdos circa vinum suo, circa panem etiam Fidelium usui prudenter agnoverit consentaneam. Cum sit communis Latinorum sententia, Christum comedisse Agnum Paschalem & Eucharistiam instituisse anno, quo mortem sustinuit, luna decima quarta deficiente, eodemque die Judæos Pascha celebrasse; consequitur, Christum in Azymo, non in fermentato Eucharistiam instituisse: convenientior*

R 4 igitur

18.) *Accipit JEsus panem &c. Et accipiens calicem &c. MATTH. XXVI. 26. 27.*

19.) *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. JOANN. VI. 59.*

20.) *Hoc facite in meam commemorationem. LUC. XXII. 19. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, Et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. JOANN. VI. 54.*

igitur in Eucharistia est azymorum
 usus, utpote Christi Domini exem-
 plo conformior, qualis est apud La-
 tinos, cum Græci consecrent in fer-
 mentato 21.). Unusquisque Sacer-
 dos sequitur ritum suæ Ecclesiæ.
 Figura panis in Ecclesia non semper
 fuit eadem: posterioribus sæculis in
 Ecclesia Occidentali communis fuit
 usus panis Eucharistici in tenui &
 rotunda forma consecrati 22.). Sa-
 cerdotes celebrantes majorem for-
 mam adhibent in Sacrificio: minores
 formæ dantur communicantibus tam
 Laicis, quam Clericis. Superstitio-
 nis vel arrogantia argueretur, qui
 non aliam vellet Hostiam suscipere,
 quam majorem 23.).

§. 216.

21.) Qualis fuerit ritus primorum sæculo-
 rum in Ecclesia Latina, erudite dispu-
 tant Doctores. Vid. Epistola LEONIS
 IX. Pontif. ad Michaëlem Cerularium
 Archiep. Constantinop. apud Harduin. in
 Collect. Concil. tom. 6. part. 1. col. 955. &c.
 LE DRUIN. de Re Sacrament. tom. 1.
 lib. 4. q. 2. c. 1. Card. BONA. *Re. Liturg.*
 l. 1. c. 23.

22.) Vid. Card. BONA loc. cit. a n. 10.
 ubi n. 12. explicat, qua diligentia olim
 præparatus sit iste panis.

23.) Nota est pœna OSWALDI MULSER,
 quæ anno 1384. in Seveld ejus temerita-
 tem

De Eucharistiæ Sacramento. 265

§. 216. Vinum adhiberi potest *§ Vinum*
cujuscunque coloris 24.), potabi- *de vite :*
le 25.), non acetosum. Huic ex
præcepto Ecclesiæ modica aqua mis-
cetur : ex præcepto autem Divino
una species sine altera consecrari
non debet , etiamsi adesset extrema
necessitas.

§. 217. Formam Sacramenti Eu- *Forma.*
charistiæ constituunt verba, *Hoc est*
Corpus meum : Hic est Calix Sanguinis
R 5 *mei,*

tem castigavit. Monumenta ad hunc
diem conservata vidit insignis Theologus
TILMANNUS BREDENBACHIUS Collat.
sacrar. lib. I. c. 52. cujus fidem immeri-
to suspectam habet THIERS de superstit.
p. 2. lib. 3. c. 2.

24.) Vinum rubrum, ubi commode inve-
niri poterit, adhiberi volunt Statuta Syn-
nod. Ecclesiæ CLARAMONT. part. I. c. 6.
ann. 1268. item Ecclesiæ PARISIENS.
sub Odone Episcopo circa ann. 1198. inter
commun. præcepta Synod. n. 28. ubi ra-
tio assignatur *propter similitudinem albi*
vini cum aqua, ne scilicet per errorem
aqua loco vini infundatur calici. Sed
vinum album adhiberi præcipit Concilium
MEDIOL. I. ann. 1565. Const. p. 2. c. 1.
ut mundiora conserventur purificatoria
& Corporalia.

25.) Vinum congelatum æque non videtur
aptum potui, ac humor in uva conten-
tus.

mei, non historice, sed assertive mane
 significative pronuntianda: vi qui
 rum sub specie panis Corpus, sub Corp
 cie vini Sanguis Christi ponitur: verti
 concomitantiam autem totus Cica E
 stus sub utraque specie: quam appe
 hæ species integræ & incorruptæ
 perdurant.

Præfens in §. 218. Præsentiam realem & ratione
Eucharistia stantialem Corporis & Sanguinis Christi
Christus sti in hoc Sacramento colligimus. Nam
 ejusdem promissione dandi Corpora ha
 suum in cibum, & Sanguinem suum dunt
 in potum 26.), quam promissione eade
 non obstante multorum discipulorum seve
 rum recessu, absque ulla figurati
 telleductu declaratione, simpliciter
 & clarissimis verbis sapius repeti
 tam, atque ex perpetua & constan
 ti Patrum & Conciliorum Traditione
 in literali sensu intelligendam, in
 charistia institutione implevit. In
 tur contra BERENGARIUM 27.
 ZWINGLIUM & CALVINUM E
 Catholica credendum est, non
 mane-

26.) Joann. VI.

27.) Hic Andegavensis in Gallia Archiepiscopus
 conus errorem, quo figuratum verbum
 Christi intellectum primus invehere
 luit, ann. 1088. moriens serio retractavit
 dicitur.

rtive manere panis & vini substantiam, sed
vi qui consecrationis in substantiam
sub Corpore & Sanguinis Christi con-
verti, quam conversionem Catholi-
cis Ecclesia Transubstantiationem
nunc appellat 28.) : accidentia autem seu
corruptibiles species Sacramentales corrumpi &
mutari possunt, sicut ante consecra-
tionem ; cum Christus suam præsen-
tiam non sensibus, sed Fidei creden-
dam objicere velit. Hinc etiam so-
la hæc accidentia franguntur & divi-
duntur : res autem quam continent,
eadem semper & incorruptibilis per-
severat. In quibus omnibus tota ra-
tio facti, est Omnipotentia faci-
entis. 29.)

§. 219.

28.) C. Firmiter. de Summa Trinit. & Fid.
Cathol. ex Concil. LATERAN. IV. sub
INNOC. III. ann. 1215. CONC. TRID. sess.
13. cap. 4. & can. 2.

29.) Sicut Capharnaitæ nimis carnaliter
intelligebant manducationem Corporis, &
& potum Sanguinis Christi : ita etiam fa-
mosus PFAFFIUS nimis carnaliter intel-
ligit verba Ecclesiæ, quibus utuntur Sa-
cerdotes post sumptionem Sacramenti :
*Corpus tuum Domine, quod sumpsi, &
Sanguis quem potavi, adhaereat visceribus
meis &c.* ; quam precationem de heresi
Ster-

Adoratur

§. 219. Cum præsentia re
Christi permanens sit in Eucharistia
consequens est, eum in hoc Sacramen-
to adorandum esse cultu Latæ
etiam externo 30.); ipsamque
eucharistiam diligenter ac religiose
servandam, more jam primis Ec-
clesiæ sæculis usitato 31.). Concilium
NICÆNUM I. 32.) legem antiquam
vocat, ut si quis egreditur e corpore
ultimo & necessario viatico, scilicet
Eucharistia, minime privetur: con-
sequenter jam tempore Concilii

Stercoranistarum insimulat in Dissert. 33.)
Stercoranistis mediæ ævi. Non videtur
carnalia, quibus adhæreat Corpus Ch-
risti, intelligi, facile desumitur ex effectibus
hujus adhæsiōnis, quem Sacerdos im-
petrare contendit per verba sequentia:
*præsta, ut in me non remaneat scelerum
macula &c.* Fallitur etiam PFAFFER
quando in Epilogo Dissertationis
nullum Hæresiologorum recensere
coranistas. Certe accurate de iis
SIANDA in Lexico Polemico, addens
hanc hæresin eruditissimè fictitiam
deri.

30.) Conc. TRID. sess. 13. cap. 5. & can.
31.) Ibid. cap. 6. & can. 7.
32.) Can. 13. Vid. BEVEREG. in hunc
nonem.

De Eucharistiæ Sacramento. 269

CÆNI antiquus mos erat asservandi Eucharistiam.

§. 220. Pro solempni debita ad- Cultu La-
rationis significatione, instituta est tria.

Festivitas Corporis Christi ab UR-
BANO IV. ann. 1262. 33.); post-
quam anno 1208. B. JULIANÆ San-
ctimoniali percelebri ejus Festivita-
tis institutio divinitus revelata fue-
rat 34.): spectacula autem profana
& ridicula in templo vel in platea
exhiberi vel fieri solita, prohiben-
tur 35.). Eadem pietate exponitur

Eu-

33.) Bulla refertur in Clement. un. de Re-
liq. & venerat. Sanctor.

34.) Solempnis Eucharistiæ circumgestatio
in Processionibus non memoratur quidem
in URBANI Constitutione :* nihilominus
communiter eidem Pontifici adscribitur :
certe a MARTINO V. in Const. *Ineffabile*
Sacramentum confirmatur. Vid. JOAN-
NIS CHAPEAVILLI tract. Historicus de
prima & vera origine festivitatis SS. Cor-
poris & Sanguinis Domini. Contra hanc
Processionem congerit scommata & blas-
phemias aliorum, HOSPINIANUS de O-
rig. fest. Christ. Mense Junio. Eadem
laudatur a Conc. TRID. sess. 13. can. 6.
Excessus si qui interveniant, sunt emen-
dandi.

35.) Concil. COLON. 1549. MEDIOLAN.
ann. 1565.

Eucharistia publicæ adorationi, indubitanter
 erga tam Augustum Sacramentum, quam
 devotio accendatur, & in publicis
 calamitatibus Divinum auxilium impetretur.
 Servanda est regula præscripta a Sacra Congregatione
 Concilii, quæ 36.) censuit non licere in
 Regularibus, etiam in eorum propriis
 Ecclesiis, Sanctissimum Eucharistia Sacramentum
 publice exponere, nisi ex causa publica
 quæ probata sit ab Ordinario; causa
 autem privata posse, dummodo Sanctissimum
 Sacramentum in Tabernaculo non extrahatur,
 & velatum ita, ut ipsa Sacra Hostia
 videri non possit. Ut rite applicetur
 hæc regula, præ oculis habenda est
 populi devotio & obsequium erga
 Augustissimum Sacramentum, hæc
 per frequentem expositionem forte
 magis promoventur in una provincia,
 quam in altera: magis in amplis
 urbibus, quam in parvis oppidis.
 Quandoque exponitur, Altare sit
 decenter ornatum, ardeat congruus
 cereorum numerus, adsit continuus
 adorator, aliique in-

36.) 17. Augusti 1630.

oni, industriæ adhibeantur, ne veneratio
mentanti mysterii languescat.

§. 221. Ordinarius Minister di- *Eucharistiæ*
tribuendæ Eucharistiæ est Episcopus *distribuen-*
& Sacerdos: extraordinarius priscis *de Mini-*
seculis fuit Diaconus, cui proin *exster* ;
iusta causa hæc facultas etiam hoc
tempore committi posset. Quam-
vis autem olim viris in nuda manu,
& mulieribus in linteolo, quod *Do-*
minicale appellabatur, tradita fuerit
Eucharistia, quam aut ibi, aut do-
mi sumerent 37.): hodierna tamen
Ecclesiæ disciplina non permittit, ut
absen-

37.) Conc. AUTISIODOR. ann 578. can.
36. statuit, non licere mulieri nuda manu
Eucharistiam sumere. Sermo S. AUGU-
STINI 252. de temp. qui dicit, mulieres
lintheamina exhibere, ubi Corpus Domini ac-
cipiant, in recentiori editione rejicitur
inter supposititios in Appendicem tom
5ti n. 229. per *Dominicale*, quo aliqui in-
telligunt hoc lintheamen pro suscipienda
Eucharistia adhibitam, alii intelligunt ve-
lamen capitis, quo tegi debebant fæminæ
ad Eucharistiam accessuræ: sic interpre-
tantur Canonem 42. dicti Concilii Au-
TISIODOR. consequenter non habetur tex-
tus authenticus dicti Concilii canone 36.
antiquior, quo statuatur differentia inter
mares & fæminas circa susceptionem Eu-
charistiæ.

absente Parocho vel Diacono, Clerici minores vel Laici sibi aut alii Communionem porrigant 38.). Preceptum Divinum sumendi Eucharistiam in articulo mortis obligat, si Minister idoneus adsit, cum Eucharistia non sit tantæ necessitatis, ut Baptismus. Posset tamen simile quoddam concedi per dispensationem Summi Pontificis 39.). Docent quoque nonnulli, posse Sacerdotem aut Diaconum semetipsum communicare, si alius idoneus Minister desit 40.).

Irruen-

38.) C. pervenit. 29. d. 2. de Consecr. sacra-
mentum & detestabile dicitur, mittere Eucharistiam ad ægrotos per Laicum vel feminam. Aliter sensit Concilium LONDINIENSE ann. 1138. can. 2. ibi: *Sacerdos, ut ultra octo dies Corpus Christi non reservetur: neque ad infirmos, nisi per Sacerdotem aut per Diaconum, aut necessitate instante per quemlibet, cum summa reverentia deferatur.*

39.) Ex concessione S. PII V. Maria Stuarta Scotorum Regina apud se in captivitate retinebat hoc Sacramentum, ut in extremo mortis articulo semetipsam eodem reficeret: quod etiam ipsa prestitit, neglecta assistentia Confessarii. P. CORNEL. HAZART Hist. Eccl. Angl. part. 6. c. 13.

40.) S. THOMAS Archiepiscopus Cantuariensis

De Eucharistiæ Sacramento. 273

Irruentibus forte infidelibus vel hæreticis, quilibet posset eorum ludibriis eripere Eucharistiam, etiam sumendo illam. Porro tenetur Parochus tempore pestis cum vitæ periculo administrare hoc Sacramentum suis Parochianis meliori modo quo potest. In mortis articulo licet Eucharistiam petere a quocunque Sacerdote, etiam hæretico, excommunicato &c. modo non concurrat prohibitio Juris naturalis ob scandalum, contemptum Religionis &c. In administratione autem hujus Sacramenti obligantur Sacerdotes servare ritus ab Ecclesia præscriptos circa tempus, locum, vestes Sacras &c. debent igitur esse induti saltem superpelliceo & stola. Tempus distribuendi Eucharistiam ex antiquo ritu Ecclesiæ est statim post Communionem Sacerdotis, & quidem ex particulis in eodem Sacrificio consecratis: unde Oratio, quæ *Postcommunio* dicitur, denotare solet, omnes adstantes sumpsisse Eucharistiam

S stiam

riensis se sistens HENRICO II. Regi Angliæ, portabat secreto secum Eucharistiam, volens eam sumere, si immineret periculum mortis.

stiam 41.). Cavendum tamen, ne ordo Divinorum Officiorum in Templo interturbetur.

*sumende
subjectum:*

§. 222. Circa subjectum capax ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum, jam a pluribus sæculis in Ecclesia Latina abrogata fuit disciplina administrandi parvulis baptizatis Eucharistiam, ob periculum irreverentiæ, aliasque causas 42.). De energumenis varia fuit diversarum Ecclesiarum disciplina 43.): dispiciendum est, quænam sit animi dispositio, & an periculum immineat, vel scandali, vel irreverentiæ Divini Sacramenti. Qui nunquam habuerunt usum rationis, non debet iis ministrari hoc Sacramentum: qui com-

po-

41.) WALAFRIDUS STRABO de Reb. Eccl. c. 22. sic loquitur: *Est autem legitimum tempus communicandi, ante ultimam orationem, quæ dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro eis est, qui communicant.*

42.) Conc. TRID. sess. 21. cap. 4.

43.) Concilii ILLIBERITANI canon 39 ad quem respicere videtur Concilium TULLETANUM XI. ann. 675. cap. 13. videtur excludere energumenos a Sacra Communionem: quos tamen admittit in articulo mortis can. 37. Vid. CABASSUT. Notit. Eccl. sæcul. III. ad dict. can. 29.

De Eucharistia Sacramento. 275

potes mentis exhibuerunt devotionem hujus Sacramenti, si postea destituantur ratione, Communio ipsis danda est in articulo mortis, nisi timeatur periculum vomitus, vel expuitionis 44.). Morem dandi Eucharistiam mortuis, plura Concilia improbarunt 45.). Plectendis extremo supplicio Eucharistia denegatur in quibusdam Provinciis: laudabilior videtur disciplina Germaniæ & Italiæ, ubi porrigitur illis Eucharistia, modo sin rite dispositi. Nimix scrupulositates, & ad superstitionem declinantes in neganda Eucharistia vitari debent 46.): vicissim majori

S 2

se-

44.) Ita docet S. THOMAS 3. p. q. 80. art. 9. c.

45.) Synod. TRULL. c. 83. Codex Can. Eccles. Afric. c. 18. & utrinque BALSAMON ac ZONARAS. vid. CHRISTIAN. LUPUS ad dict. can. 83.

46.) Græci negabant mulieribus parturientibus, aut tempore menstruorum, etiam in articulo mortis. NICOLAUS I. in Respons. ad Consult. Bulgar. c. 65. respondet, non esse negandam Eucharistiam illi, cui sanguis ex ore vel naribus profluxerit: unde arguitur, aliud fuisse alicubi observatum, sicut olim in Livonia

con-

severitate publicis peccatoribus, publicitate Juris vel facti, deneganda est Eucharistia, etiamsi Sacerdos incurrat periculum infamiae vel mortis. Sunt enim Sacerdotes dispensatores prudentes mysteriorum DEI, quibus dictum est: *nolite Sanctum dare canibus 47.)*: non est bonum sumere panem Filiorum & mittere canibus 48.). Publico scandalo prius satisfaciendum est: sani quidem publicam satisfactionem exhibere debent: morituri autem revocare debent scandala & crimina, signaque ferventis doloris præbere. Peccatori occulto publice petenti concedenda est Eucharistia, si sine infamia denegari non potest; pravalet enim præceptum non infamandi: neque licitum est, dare hostiam non consecratam, aut simulare porrectionem Eucharistiae, quin hostia immittatur in os peccatoris 49.). Occulte autem petenti deneganda est,

consuetudo inolevit, ut nulli rusticorum Sacramentum Eucharistiae detur, teste GERSON. I. part. opuscul. in declaratione defectuum Viror. Eccles.

47.) MATTH. VII. 6.

48.) Ibid. XV. 26.

49.) S. THOM. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2.

De Eucharistiæ Sacramento. 277

est, modo id non fiat ob notitiam ex confessione acquisitam.

§. 223. Præceptum sumendæ Eucharistiæ vel est Divinum, vel Ecclesiasticum. *Præceptum Divinum,* Quamvis Eucharistia in re suscepta, non sit necessaria necessitate mediæ ad salutem (50.); neque detur obligatio sumendi Eucharistiæ sub utraque specie præter celebrantes Sacerdotes (51.): certum tamen est, præcepto Divino ad Eucharistiæ sumendam obligari omnes adultos (52.); præcipue in mortis articulo, ubi finis præcepti, scilicet conjunctio cum Christo, potissimum

S 3 simum

50.) Conc. TRID. sess. 21. can. 4. quomodo aliqui Theologi intelligant necessitatem ejusmodi Sacramenti in voto saltem implicito, videatur apud TOURNELY de Sacram. Euchar. part. I. c. 7. art. 2. sect. I. aliosque.

51.) Vid. Card. BONA Rer. Liturg. lib. 2. c. 18. n. 2. PALLAVIC. hist. Conc. TRID. lib. 24. c. 12. n. 8. BARTOLDUS NIHUSIUS in Annotationib. De Communionem Orientalium sub unica specie ad LEONIS ALLATII Dissertat. de Missa Præsanctificatorum.

52.) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. . . non habebitis vitam in vobis.* JOANN. VI. 54.

simum necessarius est. Tenetur igitur incidens in mortis articulum Viaticum sumere, etiam si proximis precedentibus diebus Eucharistiam sumpserit, quia nondum censetur satisfacisse præcepto Divino. Alio forte dici potest de eo, qui eodem die jam sumpserat Eucharistiam; nam præceptum Divinum servandum est juxta communem interpretationem Ecclesiæ: hujus autem praxis non est, ut quis eodem die bis communicet. Huic præcepto Divino primi Fideles satisfacere studuerunt saltem singulis diebus Dominicis, alicubi etiam singulis hebdomadæ diebus 53.): degenerantes Christiana virtute Majorum, ter quot annis Communionem percipere jubebantur 54.): denique urgendi erant, ut saltem semel in anno Communionem perciperent 55.).

§. 224.

53.) Testimonia veteris hujus consuetudinis agglomerat BINGHAM Orig. Ecc. lib. 15. c. 9. §. 1. seqq.

54.) Concil. AGATHENS. ann. 506. can. 18. rel. in c. 19. d. 2. de Consecr. Concil. TURON. III. ann. 813. c. 59. Capitulum lib. 2. c. 45.

55.) Concil. LATERAN. IV. sub INNOCENTIO III. ann. 1216. relatum in c. omnia 12. de Pœnit. & Remiss.

De Eucharistiæ Sacramento. 279

§. 224. Præceptum igitur Ecclesiæ-^{Et Eccle-}
sticum superaddit Divino determi-^{siasticum:}
nationem temporis Paschalis, quo
omnis utriusque sexus Fidelis, postquam
ad annos discretionis pervenerit . . . Te-
netur suscipere reverenter ad minus in
Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi for-
te de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam
rationabilem causam ad tempus ab hujus-
modi perceptione duxerit abstinendum:
alioquin ^{Et} vivens ab ingressu Ecclesiæ
arceatur, ^{Et} moriens Christiana careat
sepultura. Annos discretionis, quos
Concilium TRIDENTINUM & LA-
TERANENSE requirit, apte explo-
rabunt parentes & Sacerdotes per
congruas interrogationes post acce-
ptam instructionem: Communio per
plures annos dilata, frequenter est in-
dicium neglectæ instructionis §6.).

S 4

Certe

56.) P. CONCINA Theol. moral. tom. 5. de
Præcept. Eccles. lib. 4. Dissert. 2. c. 1. n.
7. censet, cum pueri sunt apti ad confes-
sionem peccatorum faciendam, eos quo-
que esse capaces sacræ Communionis, &
ad observantiam utriusque præcepti eo-
dem tempore teneri. Aliter videtur sen-
tire BENEDICTUS XIV. qui in anno Ju-
bilæi concessit, ut pueris Confessarii Com-
mu-

Certe pueri rationis capaces suscipere Eucharistiam debent in mortali articulo ob præceptum Divinum extra hunc articulum in dubio potius videtur Eucharistia præbenda quæ olim administrata fuit etiam infantibus certe non utentibus ratione. Per tempus Paschale passim intelligitur intervallum quindecim dierum inter Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis inclusive: si alicubi legitima consuetudo hoc tempus ampliat, servari potest. Ultra hoc tempus Communionem differre licet de proprii Sacerdotis consilio, qui simul determinabit tempus implendæ obligationis. Si quis vel legitimo impedimento, vel negligentia aut malitia præceptum hoc debito tempore observare omisit, teneatur ad illud implendum, cum primum possit, sicuti qui a Judice jubetur solvere certo die, elapso hoc die non

Communionem commutent in aliud opus, bene gnarus, eos qui admittuntur ad Confessionem, non semper admittendos esse ad Communionem. Bullar. BENED. XIV. tom. 3. Const. 21. §. 80. Vid. THEOPH. RAYNAUD. Heterocl. Spirit. piet. terrest. sect. I. punct. 4. n. 38. 39.

De Eucharistiæ Sacramento. 281

non liberatur a debito. Similiter qui prævidet, se Communionem tempore Paschali non posse percipere, tenetur ad illam anticipandam; & sic satisfacit præcepto quoad substantiam: si vero impedimentum prævisum non accideret, deberet idem præceptum etiam implere quoad circumstantiam temporis intra dies Paschales. Huic autem præcepto non satisfacit per Sacrilegam Communionem, utpote per quam non obtinetur finis proximus & intrinsecus hujus Sacramenti, scilicet conjunctio cum Christo. Excommunicati & interdicti excusantur a sumptione Eucharistiæ, dummodo ipsi in causa non sint, quo minus a Censuris absolvantur. Sumenda est Communio Paschalis in propria Parochia, aut alibi de licentia sui Pastoris: nec satisfacit, qui in Ecclesia Cathedrali communicat sine licentia Episcopi vel Parochi. Sacerdotes vero Missam celebrantes satisfaciunt in quacunque Ecclesia. Possunt Regulares non invitatis multarum Diocesium Episcopis, in die Resurrectionis Dominicæ Eucharistiam ministrare sæcularibus devotionis causa accedentibus, qui præcep-

S 5 tum

tum in propria Parochia jam impleverunt, vel adhuc implebunt; nam in privilegio concessio Regularibus ministrandi Eucharistiam Fidelibus dies Resurrectionis Dominica excepta censetur solummodo pro observantia præcepti: si tamen in quibusdam Diocesis aliud sit receptum, Regulares se facile conformabunt (57.). Advenæ autem & peregrini, qui ad proprias Parochias Paschalis tempore redire nequeunt, satisfaciunt præcepto Communionis Paschalis in quacunque Ecclesia. Penam a transgressore hujus præcepti non quidem incurritur ipso facto statutum tamen est, ut *§ vivens in ingressu Ecclesie arceatur, & mortuus Christiana careat sepultura.*

*Dispositio
removens
impedi-
menta;*

§. 225. Ad dignam tanti Sacramenti susceptionem requiruntur dispositiones, tum removentes impe-

57.) De Privilegio Regularium ministrandi Eucharistiam suis familiaribus & famulis in suis Monasteriis & locis, a jurisdictione Parochorum exemptis, vide DONATUS Prax. Reg. tom. 3. tract. 4. q. 7. LEZANA p. 2. Summæ. c. 16. RODERIC. tom. 2. q. 67. art. 1. CASARTI Comp. Privil. v. familiares.

dimenta, tum conciliantes debitam devotionem. Impedimenta remouentur, quando anima mundatur a peccato mortali & deponitur affectus ad peccata venialia. Præceptum præmittendæ Confessionis ab eo, qui est in peccato mortali, Diuinum est, enunciatum a PAULO Apostolo (58.), & declaratum Ecclesiastica consuetudine (59.): quod etiam Sacerdotem peccati mortalis sibi conscium, & necessitate urgente, si desit copia Confessarii, absque prævia confessione Sacrificantem, obligat quamprimum confiteri.

§. 226. Præter immunitatem ab *Et concilians deuotionem* omni gravi culpa, & extinctionem affectus ad venialia, requiritur Mens *tionem*: attenda & deuota, animata Fide viva, Charitate fervente, memoria & meditatione Passionis Christi: quæ adesse non censetur, si illa ipsa die, aut præcedente nocte actus venereus, aut aliud peccatum, animum vehementer perturbare solitum, perpetrata-

58.) 1. Cor. XI. 28. *Probet autem seipsum homo: Et sic de pane illo edat, Et de calice bibat.*

59.) Conc. TRID. sess. 13. c. 7.

petratum sit, quamvis Confessio sacramentalis præmittatur. Ex parte Corporis requiritur jejunium naturale, in privatione cujusque cibi potus situm, ita ut quis a mediocritate nihil per modum cibi, aut potus aut medicinæ sumpserit 60.).

60.) Putarunt aliqui apud SALMERON. tit. 14. disp. 19. Corinthios reprehensos a Paulo ex eo, quod convivium ab affectu Caritatis *Agape* nominatum, præmitterent Eucharistiæ. Sed melius alii culpam Corinthiorum aliter explicant. Vid. CHRYSOST. hom. 27. in I. Epist. ad Corinth. CALMET & alii ad ejusdem Epistolæ Cap. XI. Patres CARTHAGINENSIS Synodi can. 44. excipiebant diem quendam majoris hebdomadæ, qua post octavam Sacramenta Altaris peragenda fuerunt, exemplo Christi, qui Eucharistiæ præmissa communi cœna instituit. Morem hunc Patres TRULLANI can. 27. excusant, quod forte ob rationes Ecclesiasticas utiles a Carthaginensibus probatus fuerit: ipsi tamen statuerunt, ut potius Apostolicas traditiones sequantur Fideles, qui jejunium eo die solvant, & totam quadragesimam injuria afficiant. Quod quid igitur sit de *Agape* Eucharistiæ conjuncta vel subjuncta, id certum videtur, quod varios abusus irrepsisse, ut merito a Patribus prohibita sint convivia in Ecclesiis.

præcepto Ecclesiastico prævalet præceptum Divinum, quo infirmus instanti periculo mortis sumere Eucharistiam 61.); & Sacerdos Sacrificium suum, vel alterius post consecrationem deficientis perficere 62.); aut Sacramentum contumeliis infidelium vel hæreticorum subtrahere tenetur, etiamsi jejunos non sit. Uti vestis corporis sordida dedecet & irreverentiam redolet: ita nimia

va-

-
- siis, vel locis Dominicis. Can. TRULL. 74. CONC. CARTHAG. can. 45. ibique BALSAMON, ZONARAS & ARISTENUS. Damnati tamen vicissim fuerunt, qui ejusmodi pia convivia in fide & propter Dei honorem instituta, universim contemnerent, nec cum convivantibus communicare vellent. CONC. GANGRENS. Can. 11. Præterea ut quis censeatur jejunos, non requiritur dormitio Eucharistiæ sumendæ præmittenda post comestionem, licet id aliqui inferre velint ex c. 12. de Accusat. Vid. EMAN. GONZALEZ. ibid.
- 61.) Ex pari ratione infertur, posse Sacerdotem non jejunum celebrare, ut viaticum administret morituro; quamvis ob istam causam celebrare non possit sine Altari, sine vestibus sacris &c.
- 62.) Fragmenta hostiæ a se consecratæ sumere potest Sacerdos post sumptam ablu-tionem calicis, si tunc primum reperiat.

vanitas & luxus in ornamentis corporis merito ſuſpectam reddit animum preparationem debitam : famula autem immodeſte veſtita omnino accipi non debet.

*Frequen-
tia :*

§. 227. Optaret Synodus TRIDENTINA 63.) ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes, non ſolum ſpirituſuali affectione ſed Sacramentali etiam Euchariftia participatione communicarent, quo ad eos ſacriſſimi huius ſacrificii fructus uberius perveniret : ſed tamen eos, qui majori diſpoſitionem non habent præter gratiam habituaſem, quotidie communicare non expedit. Approbante INNOCENTIO XI. Sacra Congregatio Concilii celebre edidit Decretum de quotidiana Communionem 12. Febr. 1679. ubi potiffimum vigilantia & prudentia Paſtorum requiritur, quid ſingulis permittendum videatur. Quantus ardor eſſe deberet ad frequentem Communionem, tanta deberet eſſe contentio ad dignam diſpoſitionem per morum caſtimoniam, vitæ puritatem, poenitentia rigorem, & operum ſanctitatem. Sicuti ex tali diſpoſitione major

De Eucharistia Sacramento. 287

major sequetur Communionis fructus & profectus: ita etiam hoc deprehenso frequentior suadenda est Communio 64.).

§. 228. Effectus præcipui Eucharistia sunt I. Augmentum gratia. *Effectus alii quærendi;*
II. Intima cum Christo & cum fratribus conjunctio. III. Spiritus delectatio & interna cordis dulcedo.
IV. Spirituale robur adversus dæmonis tentationes, mundi præstigijs & peccatorum illecebras. V. Remissio venialium peccatorum.
VI. Remissio pœnæ. VII. Sensuum & appetituum compressio. VIII. Immortalitatis & Resurrectionis semen. IX. Perseverantia finalis. X. Pignus vitæ æternæ 65.).

§. 229.

64.) WALAFRIDUS STRABO de Reb. Eccl. c. 22. existimat, non esse culpandos eos, qui sicut in una, sic in omnibus, quibus affuerint Missis, in die communicare velint, cum & ipse Sacerdos, quoties in die Missas facit, communicare non omittit. Praxis Ecclesiæ contrarium observare jubet.

65.) His effectibus annumerant aliqui, quod Eucharistia sumptio proficiat mortuis ex opere operato: oppositum late defendit THEOPH. RAYNAUD. de Communionem pro mortuis.

*alii non
quærendi.*

§. 229. Ope Eucharistiæ non est
spectandi sunt miraculosi effectus
quos nonnunquam ex singulari in-
spiratione Divina 66.), vel ex sim-
plicitate sua 67.) confidebant obti-
nere alii. Neque adhibenda est Eua-
charistia ad effectus, ad quos minima
est instituta, qualis est purgatio Ca-
nonica, & probatio innocentia 68.)
exempla enim non sunt imitanda

Ca-

66.) De S. DOMINICO simile quid narra-
PELBART. de TEMESWAR. in Stellis
Coron. B. V. lib. 4. p. 1. art. 3. de S.
ANTONIO Patavino ANTONINUS p. 3.
Chron. tit. 24. c. 3. §. 2. & in Actis San-
ctorum die 13. Junii fol. 725.

67.) Talis erat Sacerdos, qui ad detegen-
das fraudes hæreticorum Eucharistiam
projecit in flumen. CÆSARIUS HEISTER-
BAC. illustr. miracul. lib. 9. c. 12. item
mulier, quæ ex Eucharistia fecit cataplas-
ma applicandum cæco. S. AUGUSTINUS
lib. 3. oper. imperf. contra Julian. c. 166.

68.) Vid. GREGOR. Turonens. Hist. Fran-
cor. lib. 10. c. 8. de Comite Eulalio. SE-
GEBERTUS in Chronico ad ann. 870. de
Lothario. ALBERTUS KRANTZIUS lib.
4. Saxon. c. 43. de Sibicone Episcopo Spi-
rensi. LAMBERTUS SCHAFFNABUR-
gen. ad ann. 1077. de Gregorio VII. & He-
rico IV. TRITHEMIUS Chron. Hirsaug. ad
ann. 1124. de Ruperto Abbate Limpur-
genfi.

De Eucharistiae Sacramento. 289

Canones autem qui videntur illis favore 69.) pridem sunt abrogati 70.), utpote ex quibus sumeretur occasio multorum Sacrilegiorum 71.). Non licet imitari morem antiquum sepe- liendi Eucharistiam cum homine mor- tuo 72.), aut miscendi Sanguinem Christi atramento 73.). Imo non

T placet

69.) C. 23. & 26. II. q. 5.

70.) C. 20. Ibid.

71.) Exemplum ANDRONICI apud NICE- TAM CHONIATEM in fine Histor. Alexii Comneni, filii Manuelis Comneni.

72.) S. GREGOR. lib. 2. Dialog. c. 24. Vita S. Basilii AMPHILOCHIO adscripta circa fin. in Act. Sanctorum 14. Junii pag. 956. AMALARIUS lib. 4. de Divin. Offic. c. 41. Vita S. Cuthberti a Monacho Lin- disfarnensi scripta lib. 4. c. 13. in Actis Sanctor. die 20. Martii pag. 123. Iso Ma- gister de Miraculis S. Othmari l. 1. c. 3. *Oblate* tamen corpori SS. Cuthberti & Othmari appositæ, possunt intelligi de formulis non consecratis.

73.) Tali scriptura THEODORUS Papa dam- navit Pyrrhum, teste THEOPHANE Chro- nograph. ad ann. 20. Heraclii recent. edit. Venet. fol. 219. BARON. ad ann. 648. n. 15. & Patres Concilii VIII. damnarunt Photium, teste NICETA in vita S. Igna- tii Patriarchæ. apud Harduin. Concil. tom. 5. fol. 987. qui Photius adegit Ba- filium

placet quibusdam consuetudo deponendi Juramenta Judicialia coram Eucharistia: aut benedicendi temporales cum hoc Sacramento, illud opponendi incendiis, inundationibus &c. 74.): tali enim modo usurpanti dicunt Eucharistiam ad beneplacitos usus juxta cujuslibet phantasiam: unde oritur contemptus Eucharistiae non secuto effectu, praesertim apud haereticos; & tentatur DEUS petendo signa visibilia suae Divinae praesentiae. Alii tamen defendunt morem in Germania receptum 75.). Multo minus usurpantur sunt Hostiae consecratae vel non consecratae ad usus superstitiosos 76.).

§. 230.

filium & Michaëlem, ut Sanguine Christi scripto chirographo jurarent, se nullas Bardæ insidias moliri, prout ex Hamptolo notat MATTHÆUS RADERUS in Actibus Concilii VIII. fol. 157. & 195.

74.) THIERS de Superstit. p. 2. l. 3. c. 1.

75.) JACOB. SPRENGER Malleus Maleficarum p. 2. q. 2. c. 7. FRID. NAUSEA Catechismus Cathol. lib. 6. p. I. c. 40.

76.) Card. DE CUSA operum tom. 2. Exercit. lib. 2. ex serm. *Ibant Magi* &c. GREGOR. LANDUS de Sortileg. quæst. 3. n. 16. seq.

De Eucharistiæ Sacramento. 291

§. 230. Pro intelligendis Sacris *Quid Com-*
Canonibus apponenda est significa-*municio*
Communio Laicæ, & Communio Laicæ,
peregrinæ, ad quam Clerici ob gra-
via crimina sæpe detrufi leguntur.
Non satisfaciunt variorum Auto-
rum conjecturæ de hac pœna, quam
ica explicant, acfi per *Communio-*
sola Eucharistiæ participatio intel-
ligeretur. Plura dicenda sunt, ubi
de Pœnis Ecclesiasticis agitur. Nunc
breviter notamus, verosimiliorem
sensem esse, quod Clerici ad *Com-*
municionem Laicam admissi 77.), ple-
na & perfecta degradatione, & Cle-
ricalium officiorum ac privilegiorum
ereptione, ad statum & conditionem
laicorum redacti fuerint, ita tamen
ut communione Ecclesiæ fruerentur:
si vero in contumacia & obstinatio-
ne mentis persisterent, addebatur
depositioni formalis excommunica-
tio, ut etiam communione Ecclesiæ
inter laicos privarentur. Ad *Com-* *Et peregri-*
municionem peregrinam 78.) reduceban-*na?*

T 2

tur

77.) Can. Apost. 14. Concil. SARDICENSE
can. 19.

78.) Conc. REGENSE ann. 439. c. 3. AGA-
THENSE ann. 506. can. 2. & 5. ILERDEN-
SE ann. 524. c. 16.

tur Clerici, qui non inter laicos
ponebantur, sed instar Clericorum
peregrinorum sine literis commen-
datitiis ad extraneam Ecclesiam ve-
nientium, participes quidem fiebant
communis beneficentiæ & liberalita-
tis Ecclesiæ in iis, quæ ad vitam
sustentandam erant necessaria: non
tamen admittebantur ad munera
functiones Clericorum, donec per
legitimam pœnitentiam officium
stationem recuperarent, sicuti Cleri-
ci peregrini ad ista munera non ad-
mittebantur, donec ab omni suspen-
sione se liberarent per literas
apostolicas, quæ eorum orthodoxiam
vitæ integritatem testificarentur.

TITULUS V.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Conf. Decretal. Lib. 3. tit. 41.

*Clement. tit. 14. Extravag. Com-
mun. tit. 11.*

§. 231.

*Eucharistia
habet ra-
tionem*

EUCHARISTIA non solum Sacra-
menti, sed etiam Sacrificii ratio-

79.) Can. Apost. 32.